ISLANDIA.

ISLANDIA inter varias Oceani Occidentalis Insulas quæ Norvegiæ Regno subjectæ sunt, maxima, nomen habet à gelu, quo ex parte riget. Dicitur & Snelandia, à Nive: item Gardarrsholm. 1. Gardarti Insulam, dictam quodam ab Inventoris nomine scribit Amgrimus Jonas Islandus ipse. Plerique hanc voluerunt esse antiquorum Thulen. Quam & Ptolemæus Θούλη Thulen vocat, cujusque medium ponit gradu Latitud. xxx. xx, Long. lxiii. Hæc quinque diurnum & noctium navigatione ab Orcadibus à Solino statuitur. Insula si qua alia Poëtis celebratissima, cum disjunctissimum aliquid innuerent, quasi totius Orbis remotissima. Hinc Virgilius, *Tibi serviat ultima Thule.* Seneca, *Terrarum ultima Thule.* Claudianus, *Thulen procul axe remotam.* Statius *Ignotam vincere Thulen*, & *Nigra litora Thules.* Hoc tamen adnotasse liceat *Thulen* pro Britannia à Statio illo istis in versibus usurpari.

Nomina, à cur indita.

Cærulus haud aliter quum dimicat incola Thules.
Agmina falcifero circum venit acta covino.

Et pro remotissima quaque regione in illo Iuvenalis:

De conducendo loquitur iam Rhetore Thule.

Nomen traxisse scripsit Suidas à Thule rege Ægyptio. Isidorus à Sole. Ejus verba adscripsi: *Thule ultima Insula Oceani inter Septentrionalem & Occidentalem plagam ultra Britanniam à Sole nomen habens, quia in ea æstivum Solstitium Sol facit, & nullus ultra eam dies est: Vnde & pigrum & concretum ejus Mare.* Reynerus Reneccius à Saxonica dictione *Tel* 1. *Limes*, quasi Septentrionis & Occidentis limes fuerit. Verum enim vero, an *Thule* aliqua fuerit, dubitat Sinesius & nusquam comparere scribit Giraldus, ancipitique de ea sententia distrahuntur doctiores. Plerique *Islandiam* Thulen (uti diximus) olim vocatam afferuerunt, his tamen Saxo Grammaticus, Cranzius, Milius. Iovius, Peucerus refragantur. Ortelius suspicatur Tilemarchiam Norvegij Regni tractũ esse antiquorum Thulen: atque ex Isidoro Thule inter Septemtrionem & Occidentem sita quum sit, alibi quærenda est. Doctissimus Gaspar Peucerus libro de terræ dimensione author est Schetlandiam vocari à nautis *Thilensell*: quod si ita est, merito nobis cum eruditissimo Camdeno dicere liceat, inventam Tulen, eamque non Islandiam aut Tilemarchiam, sed Schetlandiam esse. Hæc enim insula est inter Scotiam & Noruegiam frigoribus horrida, & undique procellis exposita, cujus Incolæ piscem vento exsiccatum contusumque pro farre & pane habent. Certe Solinus eam juxta Britanniam ponit: *Multæ aliæ circum Britanniam Insulæ, è quibus Thule ultima, in qua æstivo Solstitio Sole de Cancri Sydere faciente transitum, nox penè nulla: Brumali Solstitio dies adeò contractus, ut ortus junctis sint & occasus. Vltra Thulen pigrum & concretum Mare. Inde à Caledoniæ promontorio Thulen petentibus, hidui navigatio est.* Quam vis autem Schetlandiæ Polus Arcticus non ita attollatur, ut commentus est Pitheas Massiliensis apud Strab. tamen ut eam eandem cum Thule judicemus, faciunt nominis ante relati adfinitas, Poli elevatio cum Ptolemaica consentiens, quodque hidui navigatione à Caledoniæ promontorio distet ex Solini descriptione. Sed de his satis, ad Islandiam redeo.

Fontes.

Sita est Islandia non fub Meridiano primo, ut notavit quidam, sed octavo inde gradu. Longitudo ejus est C. milliarium Germanicorum, ut vulgus scriptorum habet, his addit quadraginta quatuor, dictus Ionas. Latitudo milliarium Germ. lxv. Cœlum habet inclemens, ac pro majori parte inculta est, præfertim versus plagam Septemtrionalem ob austera spiracula venti Circij, qui nec frutices, ut scribit Olaus, elevari permittit. Tellus autem fementi faciendæ minime idonea, neque ullum fert Frumentum: at Graminis adeò fœcundum solum ferunt in hac insula omnes qui de ea scripsêre, ut nisi pecus à pabulo interdum arceatur, ab arvina ne suffocetur, periculum sit. Præter Equos & Boyes nullum jumentum apud hos esse, fatetur ipse Ionas: Bovesque & Vaccæ hic omnes cornibus carent; oves non item. Catellos habent albos quos impensius diligunt: Falcones candidos magna copia: & Corvi candidi, Agnellis & Porcellis infestissimi. Ursi item & Lepores albi. Etiam, teste nostro sæpius dicto Islando, Aquilæ albicantibus caudis; quos Plinius (ut addit) Pygargos appellavit, Præter Betulam & Iuniperum nullam hanc insulam ferre Arborem, Velleius testatur. Quare Lignorum maxima per universam Insulam inopia est, nisi forte (quod interdum accidit) ex Septemtrionali plaga Arbores grandiores ventorum turbine funditus extirpatæ naufragij instar ad hæc littora deferantur: quibus incolæ ad usum focorum, ædificiorum, naviumque utuntur. Subest Regno Norvegiæ ab anno nempe CIↃ CCLX, quo primum hos homagium huic præstitisse, tradit idem Ionas. Qua ratione Rex Daniæ qui & Norvegiæ eò quotannis Præfectum mittit, qui in arce Bessede sedem suam tenet, eique nunc obediunt, ut quondam suis Episcopis, à quibus, ad Christianam fidem fub Adelberto converfi fuêre. Tempore Haraldi Pulchricomis, Harfagro vernacule Jonæ (primi Novergiæ Monarchæ, sunt qui putant habitari ceeptam: cum hic nempe Regulorum multitudinem expluisset ex Norvegia) qui novas quærentes fedes, huc cum familijs commigrarunt, atque patriæ defiderium exuentes, manfêre, Circa annum Christi millesium hæc accidisse verisimile: Circa annum IↃ CCLXXIV scribit nominatus Islandus Ionas, apud quem habes horum Episcoporũ omnium seriem & nomina. Primum eorum Episcopum nominat Crantzius *Isephum*. Sub eorundẽ Norvegiorum imperio videtur fuisse, ante annos ducentos, ex exceptis Nicolai Zunij Eclogis, ubi legimus hanc Insulam à Zichmi Frislandiæ Rege bello petitam, sed frustra, & à Regis Norvegiæ militibus præfidiarijs in hac insula positis, repulsum. Dividitur vero Insula universa in totidem Partes, quot sunt Mundi Cardines. Orientalem vocant, *Austlendingafiordung*, Occidentalem *Wolfsfiordung*, Septemtrionalem *Nortlendingafiordung*, Meridionalem *Suydlendingafiordung*. Urbibus carent, Montes pro Urbibus habentes. Fons hic qui fumigantis aquæ vitio nativam rei cujusliber originẽ demolitur: & quicquid fumi hujus exhalatione respergitur, in lapideæ naturæ duritiẽ transmutatur, forma duntaxat superstite. Est & Fons pestilentis undæ, quem qui gustaverit, perinde ac veneno prosternitur. Sunt lati-

Situs.

Cœli & soli qualitates Animalium varias etiam.

Imperium Majorum.

Fontes.

Vltima Parrhasiæs Islandia spectat in Arctos,
Sub Caurum porrecta gradus: non divite tantum
Læta solo, cum vel cæcis occlusa cavernis
Sulphura flava coquit mixtisque extruditur arenis.
Pabula vel lætis pecori gratissima pratis
Fundit, & oppletas in vellit gramine valles:
Ne vicina etiam solidos cum littora pisces
Nec numerus, nec mensura, certisve ferendos

Nominibus stipat, ratibusque immittere certat,
Proventu si quidem vario cum excesserit, uno
Hoc vincit tamen, & cumulato pisce redundat,
Aucta opibus forteque animis complexa colonos,
Cujus & in Notios quæ pars jacet obvia ventos
Aestuat æternis per aperta foramina flammis.
Eructatque globos cinerum, trepidoque boatu,
Hecla tonans inter sparsa pice Sydera lambit.